

- Centinentur in hoc tempe  
GEORGII CALIXTI  
I. Theses de Veritate unice Relig. (fr.  
disputat.) Anno j 633
- II. De Sacrifcio Christi intrinalij s 1638  
Excitationis III. An. 1639
- III. De Haeret Nestorianae Exerc. A<sup>o</sup> 1640
- IV. De COMMUNIONE SUB UTRAG  
specie disputatio cū  
Dialog. Georgi Cassiodi A<sup>o</sup> 1642
- V. De visib<sup>h</sup> eccl<sup>es</sup>. MONARCHIA  
Excitationis II. A<sup>o</sup> 1643.
- VI. Programma, quo Controversia; Nam  
Christus fidei canem sit Filius Mi  
adversarius vīl materialis exortitz, A<sup>o</sup> 1643
- VII. De TRANSUBSTANTIATIONE  
Exercit. II. A<sup>o</sup> 1643.

CYN OEO.

*De*

SACRIFICIO  
CHRISTI SEMEL IN  
CRVCE OBLATO, ET  
INITERABILI

EXERCITATIO SECUNDA  
RITVS MISSAE IVXTA AVGVSTANAM  
CONFESIONEM REFORMATAE  
ENARRANS,

*Quam**SVB PRAE<sup>ST</sup>IDIO*

GEORGII CALIXTI

S. THEOL. D. ET PROF.

PVBLICE

IN ACAD. IVLIA

DIE XX OCTOBRIS

SVSTINEBIT

M. IOHANNES GODEG

VVESTPHALVS.



HELMÆSTADI,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT

HENNINGVS MULLERV.

*CIC DIC CIC*

ОДИНАДЦАТЬ  
ПЯТЬ СЕМЬДЕСЯТ  
ЧЕТЫРЕ ДВА

ИСБУДОВЪ ОПЛАТЮЗКА  
ИАДАТУСЪ АТХУ НАЗЕМ ЗУГІЯ  
ДІЛАНДОЛ МЭИОІЕЗИОЭ  
ЗАДАЯЛДАИ

Історія України

100-101. T1. G. MOHIT 2  
MOHIT

21 JUNI 1960

日本語の文法書

## THEATRE

ÔNG QUỐC SẢN HÀ NỘI M  
27/3/1945

丁巳立夏

ІМПЕРІАЛІСТИЧНОГО СОВІЄТСЬКОГО СОЮЗУ


ELLEN 261 C12



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-576448-p0005-8

DFG



## LI.

**E**also accusantur ecclesiae nostrae, quod Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Seruantur & usitatae ceremoniae fere omnes, praeterquam quod Latinis cantionibus admiscetur alicubi Germanicae, quae additae sunt ad docendum populum. Ita habet Augustana confessio sub initium articuli tertij de abusibus mutatis. Et sub fine: Post quam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesia ex Scripturâ & Patribus, confidimus improbari eam non posse, maxime quum publicæ ceremoniæ magnâ ex parte similes usitatis seruantur: tantum numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certè moderari prodeisset.

LII. Apologia itidem eiusdem articuli: Initio hoc iterum præfundum est, nos non abolere Missam, sed religiosè retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & aliis festis, in quibus porrigitur sacramentum his, qui uti volunt, post quam sunt explorati atq; absoluti. Et seruantur usitatae ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia. Etiam Latinam linguam retinemus propter hos, qui latine discunt atq; intelligunt: & admiscemus Germanicas cantiones, ut habeat & populus quod discat, & quo excitet fidem & timorem. Tandem concludit Apologia: Hec de Missâ breuiter diximus, ut omnes boni viri ubiq; genium intelligere queant, nos summo studio dignitatem Missæ iueri.

LIII. Ex Augustanâ itaq; confessione huiusq; Apologiâ manifestum est, nos qui ex eius præscripto reformationem amplexi sumus, etiamsi in Missâ neq;

F

sacri-

Sacrificium propriè dictum agnoscamus, neq; Christi sacrificium semel in cruce peractum iterari admittamus, & quos in eam abusus & corruptela temporum iniquitas inuexit, repudiemus; minimè tamen omnium aut priscos laudabiles ὡς ὁμοδούλους τῷ ἐυσχημονίῳ facientes ritus, aut ipsam veram, germanam & Christianam Missam aboleuisse.

LIV. In ecclesiâ Romanâ & apud ipsos Pontificios quibus hodie partibus Missa constet, è Missali promtum est cognoscere. Nos eas, vti Coloniense concilium anno xxxvi superioris seculi habitum enumerat, hîc adscribemus. Verba sunt: Docendus populus generatim, quid agatur in Missâ. & quibus partibus constet. Constat siquidem psalmodiâ, quam vocamus Introitum; invocazione & gloriosa celebratione sanctissima Trinitatis, que in canticis Kyele exāēnōv, & Gloria in excelsis Deo, peraguntur: precatione seu collectâ: recitatione verborum Propheticorum aut Apostolicorum, quam vocamus Epistolam: sacris canticis, quæ vocamus Gradualia & Alleluia, & quæ sequuntur: lectione Euangelicâ: Symboli recitatione, seu professione fidei catholicae: cantico, quod non sine mysterio Offertorium appellatum est: Gratiarum actione, quæ dicta est Prefatio: religiosa commemoratione mortis, consecratione q[uod] corporis & sanguinis Dominici, quæ fit in Canone: rursus precationibus, inter quas est precatio: Dominica: sequitur osculum pacis symbolum Christianæ caritatis: mox Communio: (vtinam autem hæc semper sequetur!) rursus sacrum canticum, quod Commune appellatur, & precatio. Postremo loco sacerdos eorum populum velut in suam intelam receptum, Deo benedictione tradit aq[ue] commendat, ut perseveret in affectu pietatis, mutuaq[ue] caritate. Ita quidem ista synodus, quid in Missâ apud Pontificios agatur & quibus partibus constet, compendio explicat parte VII, cap. xxv.

L V. Quo-

LV. Quomodo Missa apud Protestantes, & quibus  
cōueniat, quib⁹ discrepet, nemo nostrū potest igno-  
rare. Pontificiis etiam, si cupiunt cognoscere, corām  
intueri in procliui est; aut euoluere, si lubet, Missale,  
quod in vsum ecclesiarū Augustanæ confessionis cū  
cathedralium tū parochialium VVitebergæ speciosis  
& grandibus characteribus excusum ante annos L edi-  
dit Matthæus Ludecus, ecclesiæ cathedralis Hauel-  
bergensis Decanus, vir juxta pius & eruditus, qui su-  
um propositum cum Hieronymiano idem fuisse perhi- Hier. ep.  
bet, nempe antiquos legere, probare singula, retainere quæ bo-  
nas sunt, & à fide ecclesiæ catholicæ non recedere.

LVI. Poterant ista sufficere. Agendæ tamen  
Iuliæ, siue Brunsuicensium harum prouinciarum  
Kirchenordnung/ vt vocant, eum honorem habebimus,  
vt quomodo Missam celebrati velit, hīc adscribamus.  
Principio jubet altare mundis linteis sterni & cercos  
accendi: celebrantem autem solenni ecclesiastico or-  
natu & casulā albāq; amiciri. Nam, vt ad hanc rem  
verba Hieronymi adducam, quæ sunt rogo, inimicitiae con- i adv. Pe-  
tra Deum, si tunicam habuero mundiorē; si episcopus, presby- lag. c. 9.  
ter & diaconus, & reliquis ordo ecclesiasticus in administratio-  
ne sacrificiorum cum candidā ueste processerint? Chrysosto-  
mus etiam ministrantes albā & splendente tunica indui so-  
litos innuit homiliā L x ad populum Antiochenum.  
Concilium Carthaginiense iv jubet diaconum tempore can. 41.  
oblationis tantum vel lectionis, albā uti. Optatus Mileui-  
tanus libro vi: Quis fidelium nescit in peragendis mysteriis  
ipsa ligna linteamine cooperiri? De cereis autem accensis  
Hieronymus aduersus Vigilantium: Per totas Orientis cap. 5.  
ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur lu-  
minaria

minaria iam sole ruitante: non viig ad fugandas tenebras, sed  
ad signum letitiae demonstrandum.

LVII. Nempe peculiari isto siue apparatu siue  
vestitu veteres indicium facere voluerunt, non esse  
vulgarem, quæ instituatur, actionem, sed sacram &  
mysticam; atque adeo, ut animi omnium intenti es-  
sent, & de dignitate ac magnitudine mysterij admone-  
rentur, per ritus, quales memorauimus, efficeret conati  
sunt. Rectè autem monet Agenda, necessarios non  
esse, sed adiaphoros, nec ab iis sanctificationem Sacra-  
menti pendere. Et bene B. Lutherus in Formulâ Missæ  
& communionis, quam VVitebergensi ecclesiæ anno  
superioris seculi x x iiii præscripsit, *Nec candelas, in-  
quit, nec turificationem prohibemus, sed nec exigimus: est hoc  
liberum.*

LIX. Sed reuertamur ad institutum. Iubet  
Agenda Julia in officio Missæ initium fieri ab Introitu: sub-  
iungi Kύει ελένον: *Gloria in excelsis, Et in terrâ pax, in-*  
*terdum latine, interdum germanicè cantari. Sequitur*  
*Salutatio presbyteri, Dominus vobiscum; & Responsio*  
*chori populi que, Et cum spiritu tuo, lingua vernacula:*  
*quā itidem subiicitur Collecta, id est, precati uncula de*  
*tempore aut festo. Collecta autem, si Albino siue Alcvi-*  
*no Anglo, Bedæ discipulo Caroliq; Magni magistro &*  
*de diuinis officiis. familiari credimus, dicta est à collectione, eò quod ex auto-*  
*ritate diuinarum Scripturarum sit collecta; — vel quod ex mul-*  
*tis sermonibus una colligatur oratio; siue à collectione vel socie-*  
*tate dicitur populi, qui tunc in unum concurrens colligitur. Ideo*  
*autem in omnibus Collectis interponitur, PER DOMINVM*  
*NOSTRVM IESVM CHRISTVM, ut omne quod datur*  
*à Patre, intelligamus per Filium eius nos accipere, cuius heredi-*  
*tas sumus. Per ipsum ergo hostiam laudis aitq; orationis offeri-*  
mus.

mus, qui per mortem ipsius reconciliatus sumus, quum inimici esser-  
mus. Addam eadem de reverba Ruperti Tuitiensis: <sup>de diuin</sup>  
*Quod in fine orationis subiungitur, PER DOMINVM NO-* <sup>offic, c. 31.</sup>  
*STRVM, eo respectu fit, quod Dominus noster Iesus Christus me-*  
*diator est Dei & hominum, & impossibile est eterna Dei benefi-*  
*ciaper aliam viam decurrere ad nos, quam per ipsum. Per ipsum*  
*ergo petimus & impetramus.*

LIX. Collectam excipit lectio Epistola. Post <sup>v.</sup>  
lectam Epistolam canitur Sequentia, alio nomine Pro- <sup>v.</sup>  
sa, aut *Alleluia*, aut *Tractus*; aut canticum aliquod ger-  
manicum. Non male monetur, non nullis olim usur-  
patis Sequentiis aliquid labis adhæsse, & propterea  
ab iis recte abstineri. Nam synodus etiam Colonien-  
sis, cuius paullò antè meminimus, Proses, ait, in doctas parte <sup>23</sup>  
nuperius Missalibus cæco quodam iudicio inuectas prætermittere <sup>c. 11.</sup>  
per nos liceret.

LX. De aliis tamen quid judicauerit vir eximi-  
us David Chytræus, è præfatione quam operi Mat-  
thæi Ludeci priùs laudato præmisit, hic placet adiun-  
gere: Quamplena, inquit, spiritus & vita, ac vera & effica-  
cis consolationis, sunt Sequentiae veteres in festo Pentecostes,  
Veni sancte spiritus & emitte cœlitus &c. Spiritus sancti adsit nobis  
gratia; Trinitatis, Benedicta &c. Paschatis, Victimæ Paschali,  
Ascensionis, Summi triumphum Regis: Et de Apostolis, Euangeliis,  
Mariyibus, Maria Magdalena, decollatione Iohannis &c. Item in Antiphonis die Annuntiationis Mariæ, Hec est  
dies, quam fecit Dominus &c. die Circumcisionis, O admirabile  
commercium &c. in quibus singularum sententiarum grauita-  
tem, & efficaciam accendendi in pectoribus pios motus, inesse  
constat, quæ numeris, modisq; Musicis adiuta; multò in animos  
penetrant altius, & ardenter veræ pietatis affectus inflam-  
mant. Hæc ille. Nec spernendum videtur monitum,

F 3

quod

quod in eadem legitur praefatione: *Melodias simplices,*  
*graues, concinnas, & verbis textus congruentes — in ecclesiis*  
*conseruari, nec cuius cantori liberum esse, suo libitu Musica mo-*  
*dos variare, rectissimum est; ne dum quilibet sibi organista pro-*  
*priam applicacionem, & quilibet symphonista suam propriam*  
*phantasiam, ut loquuntur, affingit, Musica perinde ut Africa*  
*quotidie nouam feram producat.*

LXI. Exinde legitur aut canitur *Euangelium.*

vii. Euangilio subiungitur *Symbolum:* Symbolo homilia  
sive concio ad populum. Quam necessarium populo *Scri-*  
*pturas legere & exponere, tam quoque est antiquum.*  
*Iustinus Apologiâ secundâ: Solis qui dicitur die omnium,*  
*qui vel in oppidis vel ruri degunt, conuentus fit; & commen-*  
*taria Apostolorum vel scripta Prophetarum, quoad tempus fert,*  
*leguntur. Detinde lectore quiescente, præses orationem, quâ po-*  
*pulum instruit, & ad imitationem tam pulcrarum rerum cohør-*  
*satur, habet. Antiquitus igitur alius legebatur, alius in-*  
*terpretabatur. Prius erat Lectoris; posterius τὸν ἀρχι-*  
*πολίτην, sive episcopi, sive presbyteri. Cyprianus de*  
*Celerino, post insignem confessionem & fortiter tole-*  
*ratas carceris molestias ac plagas lectore ordinato:*

Epist. 34. *Super pulpitum, id est, super tribunal ecclesiae oportebat impo-*  
*ni, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi uniuersa pro hono-*  
*ris sui claritate conspicuus legat præcepta & euangelium Domi-*  
*ni, quæ fortiter ac fideliter sequitur. Pulpitum sive sugge-*  
*stum ex similitudine ob eminentiam tribunal ecclesiae*  
*vocat, quemadmodum etiam βῆμα appellant Græci.*  
*Quibus tamen τὸ βῆμα aliquando quidem pulpitum*  
*quoditidem ἀμένων, quia eminet, vocant; aliquando*  
*totum locum, in quo sacra erat mensa, & sacrorum mi-*  
*nistrorum vna cum suo episcopo consistebant aut confide-*  
*bant, significat. Chrysostomus sermone in Penteco-*  
*sten*

stēn p̄mō, quēm quum Antiochenæ ecclesiæ pres-  
byter esset, præsente episcopo Flauiano habuit: Nis-  
s̄ esset spiritus sanctus in hoc communipatre & doctore, Flauia-  
no scilicet episcopo, ὅπερ μηρὺ αὐτὸν ὅτι τὸ ἱερὸν βῆ-  
μα τότο, quando paullo ante in hoc sacrum iuribunal, siue hunc,  
in quo nunc ipse consistit, suggestum adscendit, vobis q̄ o-  
mnibus pacem dedit, non acclamassetis ei simul omnes, Kαὶ τῷ  
πνεύματί σγ. Ideoq; non tantum adscendentii, aut ad vos ver-  
ba facientii, aut pro vobis oranti eadem acclamatis, ἀλλ' ὅταν  
ποδὶ τῶν ἱερῶν τάυτων ἔπικε πεπέζαν, ὅταν τῶν φεικτῶν  
ἐκείνων θυσίαν ἀναφέρειν μέλλῃ, (ἴσασι γάρ οἱ μεμαντένοι τὸ  
λεγόμενον, ) ὃ τερψτον ἀπέταξαν τῷ τερψτον, sed quando  
hunc sacramenta (ea itaque suggestui vicina) adsistit, quan-  
do tremendum illud sacrificium oblaturus est, (quid enim di-  
cam, norunt initiati) non prius proposita attingit, quam vobis  
ipse gratiam à Domino fuerit apparetus, & vos ei acclamaue-  
ritis, Kαὶ τῷ πνεύματί σγ. Et post pauca: γένεται πρώτην  
τῶν γνωμένων ἐν τῷ ἱερῷ τῷ τῷ βῆματι. Nihil humanum est ea-  
rum, quæ in sacro hoc aguntur sanctuario, βῆμα, quod prio-  
re loco pulpitum siue suggestum significat, hīc ἱερ-  
τεῖον, sacrarium siue locum sacris peragendis sacro-  
rumq; ministris proprium denotat. Eo sensu Theodo-  
rus Balsamon in xxvii canonem epistolæ Basilij ad  
Amphilochium: Sacerdos si fuerit depositus, ab actioni-  
bus quidem, quæ sunt intra iuribunal, arcebatur, sed non ab acti-  
onibus quæ sunt extra iuribunal. Ita vertit Gentianus Her-  
uetus; ubi citra dubium Græca, quibus destituimus,  
βῆμα habent. Oratio autem Chrysostomi, quam alle-  
gauimus, est xxxix in quinto tomo editionis Sa-  
uilianæ. Et talia proferimus, ut his intellectis prisci  
ritus rectius intelligantur. βῆμα si pro pulpito aut sug-  
gestu capiatur, pars fucrit Cīμα! & in alterā signifi-  
tione

tionē accēpti, nempe in ambitu eius editior locūs, in  
quo subsistens lector aut tractator commodiūs à po-  
<sup>lib. 6, c. 5.</sup> pulo audiretur. Socrates de Chrysostomo: *Eutropio ad*  
*altare procumbente exterrito ὡς ὀπίσκοπος κατεσθίεις τὸν*  
*τὸν ἄμβωνα, ὅπερ εἰώθει καὶ πρότερον ὅμιλον χάριν τὸν ἔχακτε-*  
*σταύ, λόγον ἐλεγκτικὸν ἐξέτασε καὶ ἀντεῖ.*

**LXII.** Optimè omnium, quomodo ista olim  
se habuerint ex historiā Theodosii & Ambrosii, quam  
<sup>lib. 5, c. 17.</sup> Theodoretus exponit, intelligi poterit. Theodosius,  
ἐπειδὴν ὁ Καρός ἐκάλει τὴν ἱερᾶ τραπέζην τὸ δῶρον προσενεγ-  
κεῖν, — προσενεγκάντι, ὡς ερ εἰώθει, ἐνδοι τῷ θεῷ τὰς κυκλίδας  
μεμδύκειν. ubi tempus postulavit dona sacramenta offerre, quum  
obtulisset, sicuti consueverat, intus prope cancellos mansit. Am-  
brosius sciscitur, Numquā re egeat? Respondebat Imperator,  
Se exspectare diuinorum mysteriorum perceptionem, ὡς προμέ-  
rei τὸν τῶν θείων μυστεῖαν μετάληψιν. At Ambrosius per  
primarium diaconum ei significat, ὅτι τὸν ἑνδον, ὁ βασιλεῦ,  
μόνοις ἐστὶν ἱερεῖσι βατά. τοῖς δὲ ἄλλοις ἀπασιν ἀδυτά τε καὶ  
ἀφανῆ. ἔξι διπάνυν, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινάντι τῆς γάστρεως. ἀλλορ-  
γίσ γαρ βασιλέας, οὐχ ἱερέας ποιεῖ. Interiora, ὁ Rex, solis sacer-  
dotibus sunt peruvia; reliquis autem omnibus inaccessa & non  
tangenda. Egressere igitur, & cum reliquis laicis eodem loco  
consiste. Purpura enim reges, non sacerdores efficit. Impera-  
tor excusat, quod nullā arrogantiā inductus intra  
cancellos substitisset, sed morem sequutus esset eccle-  
siæ Constantinopolitanæ, in quā videlicet is honor Imper-  
atoris habitus, ut intra cancellos ubi clerus, ibi et-  
iam ipse sacra mysteria acciperet. Sed reuersus Con-  
stantinopolin, quum festo die templum adiisset, τὴν  
ἱερᾶ τραπέζην τὸ δῶρον προσενεγκάντι εὐθὺς ἐξελήλυθεν, & ne in-  
uitatus quidem manere intus voluit.

**LXIII.** Eusebius libro decimo historiæ suæ ec-  
clesia-

cap. 4.

ecclesiasticæ panegyricum inserit, quō describitur  
templum magnificum, Tyri, operâ Paulini episcopi  
exstructum. Quum templum, inquit, absoluisset, thronusq;  
sublimibus in honorem præsidum & deinde subselliis ordine & de-  
corè exornasset, εφ' ἄπασι τε τὸ τῶν ἀγίων ἀγίον θυσιατήρων ἡ  
μέσων θεῖς, αὐτὸς καὶ τάδε, ὡς αὐτὸν τοῖς πολλοῖς ἀβαταῖς, τοῖς  
ἅπο ξύλῳ περιέφερε δικτύοις, & post omnia sanctum san-  
ctorum, nempe altare in medio thronorum videlicet &  
subselliiorum collocasset, istarursus, ut essent populo inacces-  
sa, ligneis retibus circumdedit. Populo tamen & laicis, vt  
τὰ δῶρα offerrent, intrare licuit: egressis autem & suo  
loco consistentibus diaconi deinde τὰ δῶρα, quando  
jam benedicta & consecrata erant, attulerunt & por-  
t rexerunt. Satis diu hic in ecclesiâ mos durauit. Bra-  
carensi enim synodo primæ anno D L X I I I habitæ  
placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communian- can. 31.  
dum non liceat laicis viris vel mulieribus, nisi tantum clericis,  
sicur & antiquis canonibus statuum est. Toletanum con-  
cilium quartum post initium seculi septimi habitum,  
canone x v i i: *Sacerdos & Levita ante altare communicent,*  
*in choro cleris, extra chorū populus.* Cœpit igitur hoc sacra-  
rium siue sanctuarium apud occidentales chorus  
vocari, vt etiam hodie vocatur. In margine autem  
eius ambituque cancellorum locus editior ἀμβων seu  
pulpitum appellabatur, è quo lectores sacras Scriptu-  
ras populo prælegebant, episcopi & tractatores expo-  
nebant, vt pridem fuit dictum. Ad sacram verò men-  
sam, inter quam & pulpitum haut magnum fuit inter-  
stitium, propositis jam mysticis donis siue symbolis  
gratiarum actiones & solennes preces ab episcopo vel  
primario inter eos, qui adessent, presbytero conceptis  
verbis peragebantur.

LXIV. Conciones quas hodie dicimus, Græci  
ὄμιλος vocant: tractatus appellabant veteres Latini.  
quibus tractare est populum docere. Hinc Vincentius  
Lerinensis cap. XL: Doctores tractatores nunc appellantur,  
quos Apostolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eà quòd  
per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur. Et Victor  
Vticensis libro primo Persequutionis Vandalicæ de  
sancto Augustino: CCXXXII confecrat libros, exceptis  
innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterij & Eu-  
angeliorum, arg<sub>z</sub> tractatibus popularibus, quos Græci ὄμιλος  
vocant, quorum numerum comprehendere sat is impossibile est.  
Certè Augustini in Iohannem sermones etiam hodie  
Tractatus inscribuntur; ut quoque Gaudentii Brixiani,  
qui supersunt. Ambrosius epistolâ XXXIII: Post  
lectiones arg<sub>z</sub> tractatum dimissis catechumenis. Optatus Mi-  
leuitanus appendice libri septimi, quæ translocata ad  
tertium videtur pertinere: Tractare est episcoporum. — E-  
piscopal is tractatus probatur ab omnibus sanctitate vestitus,  
(hic putò subesse mendum) salutatione scilicet geminata.  
Non enim aliquid incipit episcopus ad populum dicere, nisi primò  
in nomine Dei populum salutauerit. Similes sunt exitus initii.  
Omnis tractatus in ecclesia à nomine Dei incipitur, & eiusdem  
Dei nomine terminatur. — Igitur quam Macarius nec saluta-  
uerit, antequam aliquid loqueretur; nec salutare ausus sit, post-  
quam loquitus fuit, hinc videlicet intelligere est, more  
episcopali ad populum verba non fecisse. Chryso-  
stomus homiliâ tertiatâ in epistolam ad Colossenses:  
Mox arg<sub>z</sub> præsul ecclesia ingreditur, dicit, Εἰρήνη πᾶσι: quando  
concionatur, Εἰρήνη πᾶσι: quando benedicit, &c. Accipientes  
pacem & reddentes aduersus eum, qui pacem das, inimiciias  
exercemus. Dicis, Καὶ τῷ πνευματί σοι, & eum episcopum  
foris calumniari. Sic populum episcopus tractatus sa-  
lutauit, & ab eo vicissim salutatus est.

LXV.

LXV. Quin si quid admodum concinnè dixisset, aut difficilem Scripturæ locum feliciter expediisset, acclamatum fuit vel applausum. Augustinus i v de doctrinâ Christianâ, cap. x: *Solei motu suo significare audiā multitudō cognoscendi, utrum intellexerit.* Quod donec, significet, versandum est quod agitur multi modā varietate dicendi. Et capite xxvi: *Vnde crebrō & multū acclamatur ita dicentibus, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic invicta delectat?* Item capite xxiv: *Non sanè si dicentē crebrius & vehementius acclametur, ideo granditer putandus est dicere.* Suo autem ipsius exemplo proposito, quum improbam quamdam consuetudinem aboleri doceret, & persuadere cuperet, *Non, inquit, egisse aliquid me putavi, quum eos audirem acclamantes, sed quum flentes videarem.* Acclamacionibus quippe se doceri & delectari, fleti aurem lacrymis indicabant. Hinc & Hieronymus epistolâ secundâ, Nepotiano inscriptâ: *Docente te in ecclesiâ non clamor populi sed gemitus susciterit: lacryma auditorum laudes tuas sint.* Subiungit de suo præceptore Gregorio Nazianzeno, qui de *οὐαλλάτῳ δευτερῷ ὥτῳ* interrogatus, ludens responderit, *Docebo te super hac re in ecclesiâ, in quâ, mihi omni populo acclamante, cogēris invitum scire, quod nescis: aut certè si solus tacueris, solus ab omnibus stultitia condemnaberis.* Et addit Hieronymus: *Nihil tam facile, quam vilēm plebeculam & indoctam concionem lingue volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.* Haut igitur abs re Chrysostomus homiliâ secundâ de Lazaro: *Tacet qui hæc audiit. mulè maiorem vobis habeo gratiam pro silentio, quam pro plausibus, propterea quod plausus quidem ac laudes me faciunt gloriōsiorem, hoc autem silentium vos reddit magis compositos.*

LXVI. Non possum, quin è libro quarto Optati, quæ

ti, quæ in tractatibus Donatistarum ipse reprehendat, adiiccam. Nullus, ait, vestrum est, qui non connitia nostra suis tractatibus misceat; qui non aut aliud initiet, aut aliud explicet. Lectiones dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras iniurias explicatis. Profertis euangelium, & facitis absentem fratri conniunctionem. Auditorum animis infigitis odia, iniurias suadendo docetis, docendo suadetis. Atque utinam hodie nusquam gentium, qui cum Donatistis cā in re paria faciant, inueniantur.

LXVII. Supersunt autem etiamnum è veterum catholicorum doctorum tractatibus siue sermonibus bene multi, partim à notariis excepti, partim ab ipsis auctoribus editi. Ita enim de Chrysostomianis loquitur Socrates libro vi, cap. i v: οἱ τε ἐκδοχέτες αὐτῶν λόγων, καὶ οἱ λέγοντες αὐτῶν πῶν ὀξυγεράφων ἐκληφέτες. Decimus & septimus Gaudentij hac etiam hodie inscriptione visitur: *Tractatus, quem primā die ordinationis ipsius quorundam ciuium notarij exceperunt. Ipse vero præfatione ad Beneuolum notiorum illam operam improbat potiusquam commendat.* De illis, inquit, tractatibus, quos notariis, ut comperi, latenter appositis, procul dubio interruptos & semiplenos orios a quorundam studia colligere presumserunt, nihil ad me attinet. Mea jam non sunt, que constat precipiti excipientium festinatione esse conscripta.

LXIX. Verūm enim verò ad lectionem paulo ante auditam sermonem suum referre, ei que expōnendæ impendere consueuerant, qui tractabant. Et olim quidem integri Scripturæ libri ab initio ad calcem usque perlegebantur & pertractabantur; non quidem simul & semel, sed eo ordine, ut reuersi ad sacras operas inde inciperent, ubi ante finierant. Solennibus

bus tamen festis, ut Paschæ, Pentecostes, diebus item  
jejuniorum lectio & sermo tempori reique præsentî  
congruebant. Docemus id ipsum modò ex solo pro-  
œmio Expositionis Augustini in epistolam sancti Io-  
hannis, quod est huiusmodi: *Meminit sanctitas vestra  
Euangelium secundum Iohannem ex ordine lectionum nos solere  
tractare. Sed quia nunc interposita est solennitas sanctorum  
dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Ecclesiâ  
recitari, quae ita sunt annue, ut aliae esse non possint; ordo iller  
quem suscepimus, necessitate paullulum intermissus est, non  
omissus.*

LXIX. Quando singulis Dominicis singulæ &  
certæ lectiones cùm ex Apostolicis Propheticisq; scri-  
ptis, tum ex Euangelicis ad signatæ fuerint, liquidò nō  
constat. Solet referri ad æuum Caroli magni, quin ad  
ipsum Carolum. Sed eius auspiciis homiliæ Patrum,  
quibus textus illi Scripturæ exponerentur, delectæ  
sunt. Sigebertus Gemblacensis ad annum DCCCVII:  
Carolus imperator per manum Pauli V Varnefridi diaconi sub  
decerpens optima quæq; de scriptis Catholicorum Patrum, lecti-  
ones unicuq; festiuitati conuenientes per circulum anni in ec-  
clesiâ legendas compilarifecit. De his ipsis aut certè talibus  
concilium Turonense tertium, Caroli magni iussu  
celebratum, cap. XVII: *Vixum est unanimitatî nostræ, ut  
quilibet episcopus habeat homilias continentia necessaria admo-  
nitiones, quibus subiecti erudiantur. — Et ut easdem homi-  
lias quisq; aperitè transferre studeat in rusticam Romanam lin-  
guam, id est Gallicam, aut Theotiscam siue Germanicam,  
quò facilitius possint cuncti intelligere quæ dicuntur. Ita con-  
sultum fuit duobus præcipuis sub imperio Caroli con-  
stitutis populis, Gallis videlicet & Germanis. Quam  
operam Paulo diacono tribuit Sigebertus aliique ve-*

tustiores, eam in Alcvinum confert Sixtus Senensis Bibliothecæ suæ libro quarto. Collegit, ait, & in ordinem rededit iussu Caroli magni præstantissimorum ecclesiæ doctorum homilias in euangelia, quæ per anni ambitum in templis leguntur. Addit, omnes numero esse ccix. Nisi fallor, opus illud in multis adhuc collegiis & cœnobiis manuscriptum visitar.

LXX. Quoniam incidimus in mentionem Caroli magni, cuius pietate & virtute maiores nostri Saxonnes ante annos præter propter D C C L ab idolorum cultu auocati & ad Christum traducti sunt, è legum Francicarum ab Ansegiso collectarum libro primo, quomodo & quid ille prædicari jussit, subiiciemus. Capitulo LXXV prohibet opera rustica, seruilia & laboriosa die dominico siue à viris siue à fæminis peragi. Sed ad Missarum, inquit, solennia ad Ecclesiam undig, conueniant, & laudent Dominum in omnibus bonis, quæ nobis in illâ die fecit. Sequitur jam capitulum LXXVI. Sed & vestrum videndum est, dilectissimi & venerabiles pastores & rectores Ecclesiæ rum Dei, presbyteri, quos mitiit per parochias vestras, & ad regendum per Ecclesiæ populum Deo seruientem, ut rectè, & honestè prædicent, & non sinatis noua, vel non Canonica, aliquos ex suo sensu, & non secundum Scripturas sacras fingere, ac prædicare populo. Sed vosmetipsi utilia, honesta, & quæ ad vitam ducunt aeternam, prædicate, aliosq; instruite, ut h.ec eadem prædicent. Primum omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, aeternum, inuisibilem, Subiungit articulos fidei juxta Symbolum Apostolicum: addit de operibus carnis, quæ ab omnibus, qui seruari velint, vitari necesse sit, & de oppositis, quibus operam dare oporteat: Tandem concludit: Hoc ideo

ideo diligentius iniungimus vestre caritati, quia scimus temporebus nouissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Euangeliō predixit, & Apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo dilectissimi toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & diuinā donante gratiā, verbum Dei crescat, & currat, & multiplicetur in profectum sancte Ecclesiae, & salutem animarum vestrarum, & laudem, & gloriam nominis domini nostri Iesu Christi.  
Pax prædicantibus; gratia obedientibus; & gloria domino Deo nostro Iesu Christo, Amen. Atq; hæc occasione concionum, quæ in ecclesiis habentur, dicta sunt.

L X X I. Dum verba fiunt ad populum, colligi ~~xx.~~  
solet, quod pauperum egestatem subleuet. Et hoc ipsum supplet vicem veterum oblationum. Quamquam solennioribus diebus apud Protestantes multis in locis ad ipsam aram offertur, quod cedat vobis presbyterorum & ministrorum ecclesiae. In hanc rem è veteribus adduco antiquissimum omnium Iustinum, Apologiâ secundâ: *Qui habemus, indigentes omnes adiuuamus; & alii alijs semper adsumus. In omnibus vero oblationibus benedicimus & laudamus creatorum omnium per Filium eius Iesum Christum, & per Spiritum sanctum. Rursus: Quibus copia est & qui volunt, pro arbitrio quisq; suo, quod visum est, contribuunt: & quod colligitur apud Præpositum deponitur: ipse vero inde opitulatur pupillis & viduis, & propter morbum aliquac causam egenis &c.* Tertullianus Apologetici cap. XXXIX: *Modicam unusquisq; stipem menstruâ die, vel quum velit, & si modo velit & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis vorairinis dispensantur, sed egenis alendis humandis q; & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamq; domesticis senibus, item naufragis. & si quis*

*si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, duxerat  
ex causa Deisectæ, alumni confessionis suæ fuit.*

*num, 15.*

LXXII. Irenæus dicit, Christum docuisse ecclasiam oblationem panis & vini, uti antea fuit ostensum. nempe pane & vino in aliquâ copiâ opus erat, quando vniuersus, quantus in ecclesiâ aderat, fidelis populus sanctæ Eucharistiæ particeps reddebatur. Qui itaque voluit populum fidelem pane & vino benedictis ac consecratis communicare, is eundem voluit panem & vinum, quibus eam ad rem opus, suppeditare. Et obtinet sententia, nisi jam antè sumtui prospœctū sit, & aliud, è censu videlicet aliquo, & redditibus, quibus eo tempore nondū instructæ erant ecclesiæ, peti possint. Seruator itaq; sumptionem quidem sacri panis & vini directè docuit, imò mandauit: sed oblationem illam non nisi indirectè, & , si quæ administratio sacramenti requirit, aliter haberí nequeant. Ipse igitur Irenæus non audet dicere, *mandauit*, sed *dit, docuit, item consilium dans.* Hodie oblatione tali opus non est, nam & modicum est, quod, toto populo non communicante, adhibetur; & alias suppetit, vnde hoc ipsum habeatur. Oblatione igitur eiusmodi pridem per desuetudinem abolitâ rectè apud nos omittitur Offertorium, & quæ in illam olim competebant Secretæ, uti vocabantur, orationes.

LXXIII. Cæterùm è diuerticulo in viam redeamus. Habitæ concioni subjunguntur gratiarum actiones & preces, præmissâ tamen generali quadam Confessionis & Absolutionis formulâ, vt precantes Deo placatiore vtamur, & benignius exaudiamur. Precamur autem, præeunte è suggestu ecclesiaste, pro ecclesiâ & repub. pro Imperatoribus, vt loquitur Tertullianus,

Hianus, pro ministris eorum & potestariibus, pro statu peculi, pro Apol. c. 19.  
serum quiete, deniq; pro omnibus, quibus vel nosmet-  
ipsi vel alii siue quā animam, siue quā corpus, indige-  
mus; prorsus, quemadmodum ex veteribus memo-  
rauimus numero xxxii & seqq. Quin oratur exposi-  
tis palam in altari, quod plerumq; à suggestu non adeo  
remotum est, sacris symbolis. Si igitur quæ à nostris  
è suggestu sunt preces, ad altare fierent, nullum inter  
hos & illos viderem discriminem. Prisci enim ~~τρεπόντες~~,  
quemadmodum ex iis, quæ protulimus, intelligi satis  
potest, ad altare siue sacram mensam orabant, intu-  
entes coram exposita τῷ ζωτικῷ πάθει πατέρην τα σύμβο-  
λα, ut bene vocat Eusebius: nempe ut passione & <sup>io Hist. c. 5.</sup>  
morte Christi animis efficaciter impressâ Deum Pa-  
trem per eamdem, quam maximè ardenter & deuotè  
precarentur. Atq; adeo offerre sacrificium, vel offer-  
re Christum aut corpus & sanguinem Christi, erat pro-  
positis corporis sanguinisque Dominicī symbolis &  
mortis eius memorialibus, per Christum eiusque pro  
nobis effusum sanguinem & obitam mortem, Deum  
orare & obtestari. Si enim quandocumque Patrem per  
Christum oramus, Patri Christum eiusque mortem  
offerimus; omnium maximè hoc quadrabit in preces,  
quæ propositis mortis Dominicæ symbolis memoria-  
libus, & quando ipsum Dominicī corporis pro nobis  
traditi & sanguinis effusi sumtio instat, concipiuntur.  
Et quamuis omnes, qui precantur, eo, quem diximus,  
modo offerant, viri & farninæ & vniuersus fidelis po-  
pulus; nihilominus præcipuâ & peculiati quadam ra-  
tione videri poterat offerre ~~τρεπόντες~~, qui sacræ men-  
sæ adstaret, & verba præiret. Quare obseruatâ loqua-  
tiones nonnullæ veterum, de sacrificio & oblatione

H

pro

pro viuis & mortuis, quæ alioquin difficiles apparent, facile explicantur. Et ex hac hypothesi Apologia Augustanæ confessionis articulo tertio abusuum mutatorum: *Quod allegant aduersarij Pontificij, Patres de oblatione pro mortuis; scimus veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus: sed applicationem cænae Domini pro mortuis ex opere operato improbamus.*

LXXIV. Sed nos iterum fere exorbitamus: de precibus enim, quales in sacris nostris sunt, dicere cœperamus: quamquam has ipsas cum veteribus componi, præter rem haut fuerit. Atque ita quidem, ut diximus, pro omnibus diuinâ ope egentibus aut in necessitate aliquâ constitutis Deum precamur. Nec viuos tantum ei commendamus, sed si qui proximis diebus vel septimanâ Dominicam præcedente in Christo obdormierint, pro iis, quod egregium certamen certauerint & fidem seruauerint, gratiæ aguntur, & oratur Deus, ut propitius sit, placidamq; requiem & beatam resurrectionem indulgeat. A traditione igitur & cōsuetudine vniuersalis ecclesiæ pro mortuis orantis non recedimus. Quin dicimus, in Missâ pro mortuis Christum offerri, nihil aliud veteribus fuisse, quam pro mortuis per Christum, Christique passionem & & mortem à sacerdote ad sacram mensam consistente Deum rogari. Apologia Augustanæ confessionis loco paullò antè producta: *Falsò citant aduersarij contra nos damnationem Aërij, quem dicunt propterea damnatum esse, quod negauerit in Missâ oblationem fieri pro viuis & mortuis. — Epiphanius testatur Aërium sensisse, quod orationes pro mortuis sine inutiles. Id reprehendit. Neg̃ nos Aërio patrocinamur. Interim quid utilitatis è precibus viuorum in mortuos redundet, fatemur explicatu oppidò difficile esse; quâ de re postea.*

LXXV.

LXXV. Nunc saltim verba Urbani Regij, è libello de Formulis cautè loquendi, vti ab ipso Lipsiæ anno superioris seculi XLI editus fuit, subiicio. Dazā, inquit, operā coniungo sanctos, de quorum salute Scriptura restatur, & reliquos, quos etiam speramus in fide Christi obdormisse. Nam & ipsi, si in Domino obdormierunt, sancti sunt. Horum certè memoria semper in Ecclesiâ religiosè celebrata fuit. Quare vir Dei, Doctor Martinus Lutherus in aeternum obseruandus præceptor noster, non putat à Christianâ pietate alienum esse, si pro nostris defunctis semel atque iterum ex liberâ devotione orauerimus. Caritas enim Christiana mirè efficax virtus est, nec se continet, quin & pro viuis & defunctis sit sollicita, ita ut & commembra nostra ex hoc seculo emigrantia, piâ prece commendet Christo Domino ac Deo nostro in aeternum benedicto. Et hæc erat olim, & est nunc in Ecclesiâ catholicâ Memoria defunctorum, quæ euidentis testimonium est caritatis, & fidei de gloriosa carnis resurrectione, & quum sit fidei fructus, quæ per caritatem operatur, nemo eam reiiciet, nisi Epicurei & Sadducei. Subiungit veterum dicta & exempla; è quibus nos non nisi vnicum, Ambrosii videlicet de Theodosio, ex oratione in obitum eius, addimus: *Dilexi vi-  
rum, & præsumo de Domino, quod suscipiat vocem orationis meæ,  
quâ prosequor animam piam.* — *Da DOMINE requiem per-  
fectam seruo tuo Theodosio, requiem illam, quam preparasti san-  
ctis tuis.* Illò conuertatur anima eius, unde descendit; ubi mor-  
tis aculeum sentire non possit; ubi cognoscat mortem hanc non  
naturæ finem, sed culpæ. Ambrosianis vocibus concor-  
dant quotidianæ nostrorum voces, quibus Deum, vt  
animabus defunctorum fidelium propitius esse & in  
paradisum receptas quiete & gaudio mactare velit,  
precantur. Neq; est, quod dicant nonnulli, hæc tan-  
tummodo eos optare, non autem rogare Deum, vt tri-

būat. Vōces enim ipsæ aliud tinniunt: & quūm obtingere, nisi diuinā benignitate, ista non possint, quid aliud est optare à Deo ista concedi, quām Deum rogarē, vt largiatur? Absurdum enim fuerit optare à Deo aliquid donari, quod Deum vt donet rogare nolis. Et si non opus sit Deum rogare, totum etiam illud optare frustra erit. Votum igitur ad Deum relatum, quemadmodum, si propriè loquamur, referri oportet, nisi pro promissione Deo factâ, accipiatur, preces ad Deum semper includit: votum, inquam, si formaliter & pro actione vouendi sumatur. nam capi etiam potest materialiter pro re, quæ vel Deo promittitur, vel desideratur & à Deo petitur.

LXXVI. Ex hisce autem siue votis siue precibus, quas pro mortuis ecclesia fundit, Purgatorium, quod vocant, & post obitum, priusquam corporibus animæ denuò vniāntur, animabus nonnullis subeundū esse statuunt Pontificij, prorsus inualidè colligitur. Ipse Canon Romanus Deū, ut omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis & pacis indulgeat, deprecatur. Hincine omnes in Christo quiescentes purgatoriis cruciatibus torqueri affirmabunt? Sic in aliis quoque liturgiis simpliciter pro omnibus oratur, vti videre est num. XLIII. Quamquam igitur exactè & distinctè quidemolumenti è precibus, quas diximus, in mortuos redundet, explicari forte nequit; si tamen nihil aliud, argumentum & symbolum sunt istius contesserationis, quæ inter fideles in Domino mortuos, & viuos adhuc superstites intercedit. Illi pro hisce, siue pro ecclesiâ in terris militante, cuius memoriam secundum extulerunt, Deum orant: hi vicissim illos votis & precibus prosequuntur. Sicut inde non sequitur, illos à nobis

à nobis rectè & utiliter compellari: ita quoque hinc non sequitur, illos alicubi in tormentis esse & cruciari. Etiam si enim fideles defuncti & nos viui, non saltim qui aliquando alii aliis noti, sed etiam qui ignoti fuerimus, mutuâ caritate deuinciamur; non tamen, ex quo in beatiorem vitam illi migrarunt, eiusmodi societate coniungimur, vt à nobis ad officium intercessioneis præstandum, (ad quod alioquin, vti ad omnes Dei deprecationes & laudes presenti eorum statui congruas per se promptissimi sunt,) admonitionibus vel compellationibus, qualibus viuos rectè excitamus & rogamus, excitari etiam ipsi & rogari aut possint, aut debeant. Quâ de re alibi disputabitur. Nunc tantummodo obiter indicamus, quemadmodum è precibus, quas pro nobis sine dubio fundunt beatæ animæ, non sequatur ipsas à nobis esse inuocandas; ita quoque è precibus, quas mutuâ caritate ipsis impendamus, perperam colligi Purgatorium.

LXXVII. Hodie quidem Pontificii, vt eam, cuius modò meminimus, beatarum animarum inuocationem stabiliant, ipsas iam tum perfectâ, & quanta obtingere vñquam debeat, beatitudine frui, & clare Deum, & in Deo omnia, atque adeo desideria & preces nostras, videre adserunt. Inanis tamen est conatus. Beati angeli in cœlis semper vident faciem Parris, qui in cœlis est, Matth. xix, 10: de die tamen illo & horâ quæ huic mundo suprema erit, nemo scit, ne Angeli quidem cœlorum, Matth. xxiv, 36; Marci xiii, 32. Non igitur quicunq; Deum videt, in Deo videt omnia. Sed etiam ipsa hypothesis laborat, & cum Scripturâ & sententiâ melioris antiquitatis parum congruit. In Apocalypsi animabus martyrum sub altari quiescentibus data sunt sto-

H 3 . . . . .  
la alba,

lae albae, & dictum est eis, ut requiescerent adhuc paullulum, usquequo compleantur etiam conserui eorum & fratres eorum, Apoc. vi, 11. Et priisci veteris pacti fideles non obtinuerunt promissum, quod Deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne absq; nobis consummarentur, Hebr. xi, 39. Si enim maxima & potissima retributio, & ipsa summa & consummata beatitudo in clarâ Dei visione & fruitione posita iam antè obtigit; quorsum tanto apparatu Dominus ad judicium veniet? num saltim, ut appendiculam quamdam pridem acceptæ beatitudinis in corpus redundantem conferat? Atqui futurum est, ut Filius hominis veniat cum gloriâ Patris sui cum angelis suis; & TVN Credet unicuiq; secundum ipsius facta, Matth:xvi, 27. Ecce, ait, venio citò, & merces mea tecum est, ut reddam unicuiq; prout opus ipsius erit, Apoc. xxii, 12.

LXXIX. Certum est justorum animas esse in manu Dei, & non tangi à tormentis, Sapientiae III, 1; & requiescere à laboribus suis, Apoc. XIV, 13; esse in sinu Abrahæ, Lucæ XVI, 22; & in paradyso, Lucæ XXIII, 43. Translatio autem verbo omnis etiam spiritualis quasi regio, ubi animæ bene est, meritò paradysus dici potest. — Ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abrahæ paradysus dici potest, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies post omnes dolores vita huius. Verba sunt Augustini è XII de Genesi ad litteram, cap. XXXIV. Tertullianus paradysum vocat locum diuinæ amoenitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, Apologetici cap. XLVII. Ambrosio sinus patriarcharum recessus quidam est quietis æternæ, oratione in obitu Valentiniani. Nempe Abraham pater habetur omnium credentium, Rom. iv, 11. Horum igitur animæ post discessum à corpore in sinu Abrahæ dicuntur esse, quod in tuto sint, quiete potiantur, blandè fouecantur, exhilarantur, quemadmodum

dum pueruli solent in gremiis suorum parentum.  
Quamuis itaque certum sit animas defunctorum fide-  
lium in statu esse tranquillo & lato: imò adesse apud Do-  
minum, 11 Cor. v, 8; esse cum Christo, Phil. 1, 23; atque a-  
deo in beatitudine si non consummatâ, saltim incoa-  
tâ: qualis tamen & quanta sit ea beatitudo, & num  
mihi vel augeri possit, non constat. Horum ignoran-  
tia & flagrans viuorum erga defunctos affectus effecit,  
vt preces istæ multiplicarentur, & die quadragesimo  
& anniversariis iterarentur. Sed, vt dixi, quis sit fru-  
ctus & effectus earum, non admodum liquet. Et-  
iamsi verò non incertus modò sed etiam nullus fo-  
ret, quia tamen ex caritate erga eos, quibus amorem  
debemus, proficiuntur, hactenus nec impiæ nec  
Christianis indignæ fuerint. Ita si Deum orein, pro  
fratre, amico vel quis proximo, vt cœptum iter  
feliciter conficiat, aut periculo eripiatur, aut morbo  
liberetur; etiamsi me inscio pridem iter confecerit  
periculo ereptus vel morbo liberatus sit, atque adeo,  
quod impetrare desidero, vota mea anticipauerit:  
preces tamen meæ ex sollicitudine & caritate fratri,  
amico vel proximo debitâ profectæ, rectè se habue-  
rint & reprehendi non poterunt.

LXXIX. Quoniam autem omne opus Deus addu-  
ceret in judicium, quod erit super omni occulio, sive bono, sive  
malo, Ecclesiastæ xii, 18; quoniam omnes sistemur ad tri-  
bunal Christi, & unusquisq; nostrum de seipso rationem reddet  
Deo, Rom. xiv, 10, 12; & quoniam Seruator dicit nobis,  
quodcumq; verbum aciosum loquitur homines, de eo red-  
dituros rationem in die judicij, Matth. xii, 36: ideo fru-  
ctum deprecationum, de quibus modò loquimur, ad  
leniendum rigorem examinis, quod magno illo die  
perage-

peragetur, siue ad mitigandum iudicium discussionis retulimus libro, quem de Supremo iudicio scripsimus. Necdum quidquam probabilius apparet. Quin in sententiâ nos confirmat, quod sanctus Paulus scribit de Onesiphoro 11 Tim. 1, 18; De te ei Dominus, ut inuenias misericordiam in die illo. In die igitur illo inueniri poterit misericordia. Et sanè, nisi possit, frustra in solenni supplicatione siue litanie precaremur. Am  
jungsten Gericht / Hilff vns lieber HErr Gott. Ceterum ut hoc proponimus, quod nihil probabilius occurrat; ita quoniam de nullo salutis fundamento fideiue ad salutem necessariæ articulo agitur, adsensum suspendenti aut deneganti non succensebimus, gratias insuper habituri, si solidiora & certiora protulerit.

XXC. De precibus igitur, quæ in Missâ fiunt, hæc dicta sunt: de quibus iterum monemus, & res docet ipsa, inter veterum & nostras non esse discrimen, nisi quòd ab antistite siue sacrorum ministro apud nos è suggestu recitantur, quæ apud illos ad aram siue sacram mensam conceptæ fuerunt. Sequitur in Agendâ Iuliâ: Finitis post concionem precibus, qui communicatur sunt, in chorum progrediantur, & ingenua procumbant. Deinde jubetur cani Præfatio, præsertim diebus festis, & in urbibus. Præfationes de cordibus sursum habendi & gratiis Deo agendis antiquissimæ sunt, & in ecclesiâ vuiuersâ à primis usque seculis usitatæ. Hinc Augustinus de verâ religione cap. III: *Si per urbes atq; oppida, castella, vicos & agros etiam, villas q; priuatas, in ratis sum aperte persuadetur & appetitur à terrenis auersio, ut quotidie per uniuersum orbem humanum genus una penè voce responderit SVR SVM SE CORDA HABERE AD DOMINVM, quid adhuc oscitamus crapulam hesternam?* Libro de Bono

Bono perseuerentiae cap. xiii: *Quod in sacramentis fidelium dicitur, ut SVRSVM CORDA HABEAMVS AD DOMINVM, munus est Domini: de quo munere ipsi DOMINO DEO NOSTRO GRATIAS AGERE a sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & DIGNVM ET IVSTVM esse respondent.* Eadem repetit de Bono viduitatis cap. xvi. Chrysostomus homiliâ de Eucharistiâ in Encæniis, Nonnulli, inquit, sub horam terribilis mysticæ mensæ in vaniloquentia conuenticulis occupati sunt. *Quid facis homo? Nónne promissisti sacerdoti, quid dixit, SVRSVM MENTEM ET CORDA; & dixisti, HABEMVS AD DOMINVM?* Non vereris & erubescis. Nempe illâ ipsâ horâ mendax inueniris. Homiliâ xix in posteriore ad Corinthios: *In horrendissimis mysteriis bene precatur sacerdos populo, & populus sacerdoti.* Nam CVM SPIRITU TUO nihil aliud est, quam hoc. Rursus ea, que ad gratiarum actionem pertinent, sacerdoti & populo communia sunt omnia: neq; enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus.

XXCI. Quò pertineat illud, SVRSVM CORDA, ex se liquet, & bene explicat Cyprianus Sermone de Oratione Dominicâ, num. xxii: *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces tota corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam iunc animus quam id solum cogitet, quod precamur. Ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissâ parat fratrum mentes dicendo, SVRSVM CORDA;* ut dum respondet plebs, *HABEMVS AD DOMINVM,* admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Quodigitur, si vñquam alias, omnium maximè in sanctissimi huius sacramenti celebratione animus à terrâ terrenisque curis & cogitationibus avellendus, sursumq;

fit tollendus, hinc ἀναφορῇ vocarunt Græci. Anastasius Sinaita oratione de S. Synaxi: θύετε μετὰ φόβον τῆς φοβερᾶς ωρᾶς τῆς ἀναφορᾶς. State cum timore tremenda illâ elevationis horâ. Quo enim affectu, & quo animo quisque illo tempore adficitur, sic & ad Dominum sursum fertur. ἀναφορῇ γέρων λέγεται καὶ τὸ τελεῖον ἀναφέρεσθαι.

XXII. Ipse Dominus noster priusquam panem frangeret & distribueret, gratias egit & benedixit. Idem sibi faciendum putauit ecclesia. Quia vero Dominus nullam certam formulam præscripsit, sed rei temporique congruâ vñus fuit, ideo etiam ecclesia secessat ad certas voces non existimauit obstrictam, sed ut res & tempora exigere videbantur, ita quemadmodum in precibus concipiendis, sic quoque in agendis gratiis formulas attemperauit. O τετράς εὐχῶν εὐχαεστίας σὸν δύταμον αὐτῷ ἀναπέμψῃ, ait antiquissimus Iustinus. Præses, quantum potest, quantum ei succurrat vel Spiritus suggerit, precatur & gratias agit. Postea tamen ut juxta diuerositatem festorum pro diuersis beneficiis, quorum videlicet iis diebus memoria recolitur, gratiæ Deo agerentur, formulæ nonnullæ recipi & frequentari cœperunt. Et, ait Augustinus, dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus & reddimus: ei beneficiorum eius solennitatibus festis & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam. Formularum istarum præcipuae exstant in Agenda: & hymno τεσσαριώ clauduntur. Quod ipsum quia εὐχαεστία complectitur, & præstat, quod ante distributionem & sumptionem Dominus ipse præstítit, negligendum vel insuper habendum minime fuerit.

Io de C.D.  
cap. 4.

XXIII. Præfationi subiicit Agenda Exhortationem, quâ admonentur & incitantur communicanti, ut beneficiorum diuinorum & passionis ac mortis Christi

Christi seriò recordentur, gratias humiliter agant, &  
ne indigni edant ac bibant, enixè operam dent. Se-  
quitur Oratio Dominica & post eam historia & verba x. xi.  
institutionis. Dicit Gregorius magnus morem Apostolo - lib. 7. ep. 68  
rum fuisse, ut ad ipsam solummodo orationem Dominicam ob-  
lationis hostiam consecrarent. Quod si testi sex seculis re-  
gestâ inferiori fides habenda, aut de solâ formulâ pre-  
candi, seclusis gratias agendi & commemorandi for-  
mulis, aut alio aliquo modo intelligendum fuerit. Et  
quid Iustinus ætati Apostolicæ proximus dixerit,  
paullò antè audiuimus, nempe τὸν θερμόν, οὐν δύνα-  
μεις αὐτῷ, & precatum esse, & gratias egisse. Magis itaq;  
probo verba VValafridi Strabonis in hunc modum lo-  
quentis: Quod nunc agitur multiplici orationum, lectionum, de rebus  
cantilenarum & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & eccles, c. 22  
post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione  
passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. — Et  
relatio maiorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, si-  
cuit modo in parascene Paschæ (quo die apud Romanos Missæ non  
aguntur) communicationem facere solemus; id est, præmissa ora-  
tione Dominicæ, & sicut ipse Dominus noster præcepit, comme-  
moratione passionis eius adhibitæ eos corpori Dominicæ commu-  
nicasse & sanguini, quos ratio permittebat. Ad commemo-  
ratio nem istam facit ipsa institutæ Dominicæ coenæ  
historia, apud nos recitari solita.

XX CIV. Eleuationem benedicti panis & ca-  
licis omitti jubet Agenda, quod in aliis quoque refor-  
matis ecclesiis omittatur, ne qua disparitas contenti-  
ones pariatur. Primitus inuestigam credo ad significan-  
dam & excitandam eleuationem mentis, vnde appella-  
tionem ἀναφορᾶς esse ex Anastasio paullò antè audi-  
uimus. Alii symbolum volunt esse Dominicæ in cruce

eleuationis. Germanus Constantiopolitanus Thē-  
oriā rerum ecclesiasticarum sub finem: *Elatio in altum*  
*venerandi corporis representat crucis elationem, & mortem in*  
*ea, & ipsam resurrectionem.* Rabanus Maurus Appendix  
libri primi de Institutione clericorum: *Eleuatio sa-*  
*cerdotis & diaconi corporis & sanguinis Christi, eleuationem*  
*eius ad crucem insinuat pro totius mundi salutē.* Iuo Car-  
notensis epistolā ccxxxiii: *Quum panis & calix adhi-*  
*bito diacono eleuatur, exaltatio corporis Christi in cruce comme-*  
*moratur.* Alii dicunt hac ostensione populum inuita-  
ri ad sumendum. Nicolaus Cabasilas Expositione Li-  
turgiæ, cap. xxxvi: *Sacerdos viuifico pane accepto & o-*  
*stensō, eos, qui dignè ipsius participes futuri sunt, vocat. Sancta,*  
*inquit, sanctis; propemodum dicens, Ecce panis vita, quem vi-*  
*detis: accurrite ergo participes futuri, non omnes, sed si quis est*  
*sanc̄tus.* Et cap. xxxix: *Ostensis sanctis vocat eos, qui par-*  
*icipare voluerint.* Hunc ostensionis siue eleuationis ri-  
tum B. Lutherus Formulā Missæ, quam ab ipso VVi-  
tebergenſi ecclesiæ traditam diximus, retineri voluit.  
Quin postillā quò acriùs impugnauit Carolstadius, eò  
diutius retinuit, vti testatur ipse sub finem Breuis con-  
fessionis de sancto sacramento, editæ cīc I c LXIV.

XXCV. Omissâ igitur eleuatione, vt pote re-  
centioris instituti & quæ facile aliò, quām oporteret,  
trahi possit, porriguntur iis, qui sese ut dignè accipe-  
rent, præpararunt, tum benedictus panis, tum bene-  
dictus calix juxta Christi institutionem & mandatum.  
Ipsi autem interea, dum accipiunt, in genua procum-  
bunt, & Christum, qui præsens adest, suumq; corpus  
manducandum & sanguinem bibendum exhibet, ve-  
nerantur & adorant. Sanè Christi corpus & sanguis  
adsunt, quando benedictus panis vinumque benedi-  
ctum

Etum sumuntur; & vnâ cum pane & vino sumuntur;  
& quidem non adsunt, nisi quando sumuntur, vt aliâ  
occasione, Deo juuante, explicabimus. Recte igitur  
is qui sumit, quando sumit, veneratur & adorat. Quia  
tamen nec extra actum sumptionis, nec sensibiliter ad-  
sunt, adoratio ad aliquod objectum externum sensi-  
bile dirigi non potest, sed sufficit eum, qui sumit, inte-  
rea dum sumit, præsentem Christum internâ animi &  
spiritus deuotione, quam tamen externo etiam cor-  
poris gestu non malè testetur, venerari & adorare. Be-  
ne Haimo tertius Halberstadiensis episcopus in I Co-  
rinth. x i: Quotiescumq; accedimus ad consecrandum vel per-  
cipiendum sacramentum muneris aeterni, quod nobis Dominus  
piissimus in sui memoriam dimisit tenendum, cum timore & com-  
punctione cordis omniq; reverentia debemus accedere, recolen-  
tes, quanto nos amore dilexit, qui pro nobis seipsum obtulit, ut  
nos redimeret. Nempe, vt alias Saxo, Ludolfus videlicet  
Cartusianus Parte secundâ de vitâ Christi, cap. LVI  
loquitur, hoc est illud memoriale, quod animam gratam, quum  
ipsum suscipit manducando & bibendo, vel etiam fideliter medi-  
tando, debet totam ignire & inebriare, & in ipsum Dominum  
præamoris & deuotionis vehementiâ totaliter transformare.

XX CV I. Peractâ communione recitatur Col-  
lecta, quâ Deo aguntur gratiæ, quòd nos hoc salutari  
dono (*σωτήριον δῶρον* itidem à veteribus appellata fuit  
Eucharistia) refecerit, & oratur, vt nobis proficere fa-  
ciat ad robur fidei & incrementum mutuae caritatis.  
Subjungitur solennis benedictio; post quam qui com-  
municarunt, quiq; adstiterunt, dimittuntur.

XX CVII. Veteres in Latinâ ecclesiâ dixerunt,  
Ite, missa est; id est, apertis, missio siue dimissio, quem-  
admodum remissam pro remissione ijdem usurparunt.

Hinc itaq; factum, vt ab hoc vnico eoque vltimo actu totum illud, vt sic dicam, corpus siue vniuersum complexum sacrorum actuum in ecclesiâ peragi solitorum, nempe precationum, cantionum, laudum, lectionum, explicationum, oblationis munera, benedictionis siue consecrationis, distributionis & communionis, vno nomine Missam appellarint. Si per breuis illa, quæ exstat, Cornelij Romani episcopi ad Lupicinum Viennensem episcopum epistola genuina est, vti est sine dubio, & quare non sit haut poterit doceiri; vocabulum & modus loquendi hinc deduci jam tum medio seculo tertio in usu fuerunt. Scias, ait, frater carissime, arcam Dominicam venio persequitionis acerrimè comoueri, & edictis Imperatorum Galli & Volusiani Christianos ubiq; tormentis variis affici. nam in urbe Româ imperator (fortè inquisitor, aut quid simile) ad hoc constitutus est. Unde publicè, neq; in cryptis norioribus missas agere Christianis licet. Missas agere, est sacra Christiano ritu celebrare. Ambrosius epist. xxxiiii: Missam facere cœpi.

XXCIIIX. Missam itaque primâ notione missionem vel dimissionem denotat: alterâ verò hinc deriuatâ, & in frequentissimum usum Latinæ ecclesiæ traductâ significat celebrationem sacrorum, quæ dimissionem antecedit, & hac ipsâ clauditur siue finitur. Usurpatur missa pro dimissione can., xxciiv Concilij Carthaginensis quarti: *Vi episcopus nullum prohibeat ingressi ecclesiam, & audire verbum Dei, siue gentilem, siue hereticum, siue Iudaum, usq; ad missam catechumenorum.* Pro sacro autem accipitur, capitulo primo concilij Valentini: *Sacrosancta euangelia ante munera illationem in Missâ catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur.* Sicut enim duplex olim erat dimissio, ita quoque duplex

plex sacrūm, Catechumenorū videlicet & Fidelium,  
vti ante adiximus num. xxiv. Alterum autem alteri  
continuum erat, nisi quod dimissio illa catechumenorū  
poenitentium, & energumenorum intercederet  
& distingueret. Recitabo hīc verba Isidori Originum  
libro vi, cap. xix: *Missa tempore sacrificij est, quando ca-*  
*techumeni foras mittuntur, clamante Leuita, Si quis catechu-*  
*menus remansit, exeat foras: & inde Missa, quia sacramenis*  
*altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.*  
Et Alcuini libro de diuinis officiis: *Missa nihil aliud in-*  
*telligitur, quam dimissio, id est, absolutione, quam celebratis om-*  
*nibus tunc diaconus esse pronunciat, quum populus à solenni ob-*  
*seruatione dimititur. Idem tamen, ut etiam plures me-*  
*diæ insimæque ætatis scriptores, aliter alio loco expli-*  
*cant, et si in propriè, non tamen impiè. Missa, inquit,*  
*dicitur, quasi transmissa, vel quasi transmissio, eo quod populus*  
*fidelis de suis meritis non presumens preces & oblationes, quas*  
*Deo omnipotenti offerre desiderat, per ministerium & oratio-*  
*nem sacerdotis transmittat. — Alio modo potest dici Missa, eo*  
*quod nos mittat ad Deum. Talia potius ad vocabulum ad-*  
*ludunt, quam genuinum eius etymon explicant.*

XXCIX. Cæterū ex iis, quæ exposita hæc-  
nus sunt, quod in vestibulo dissertationis ex Augusta-  
nâ confessione eiusq; Apologiâ proposuimus, manife-  
stum redditur; nemper in terri Missam apud nos Protestan-  
tes, & summa reverentiâ celebrari; seruari usitatas ceremo-  
nias fere omnes; simpliciter enim omnes seruari, aut per-  
petuò & ubiq; easdem permanere neq; necesse est, neq;  
semper ex usu: deniq; nos summo studio dignitatē Missa ueri-  
priscæ scilicet istius, veræ & genuinæ Missæ, in quâ non  
solum hymni canâtur, deprecationes siant, Scripturæ  
legantur & explicitur, panis vinumq; benedicantur &


CON-

consecrentur, sed etiā ad manducandū & bibendū distribuātur. Talē enim Missam Dominus & Seruator noster à suis discessurus in suæ mortis commemorationē instituit, & vsq; ad suū reditū frequentari præcepit.


X C. Et prior quidem Missæ pars, siue Missa Catechumenorum quondā appellata, communis, vt ita dicam, est institutionis, eius videlicet, quâ ministerium Euangelii & officium quoscumq; homines pietate imbuendi & ad verum Dei cultum erudiendi est institutum: posterior verò pars, Missa fidelium olim dicta, & priori prælata, sanc*tior*q; & nobilior habita, institutionis est propriæ & peculiaris, eius videlicet, quâ eximium & sacrosanctū illud mortis suæ memoriale, nemini nisi pietate jam imbuto & in pietatis exercitiis occupato participandum, Ecclesiæ reliquit & commendauit. In aulâ regiâ cibo quidem pascuntur omnes, servi etiam primū in familiâ adsciti & negociorū rudes, imò etiam nequam, imò etiam captiui: ad ipsum autem cum Rege epulum soli probi & digni admittuntur. Sic in Ecclesiâ doctrinam euangelii, quæ est esca animi, sine quâ spiritualem vitam nemo incoare potest vel conseruare, audiire possunt & debent omnes, siue cathechumi fuerint, siue ob grauia & notoria delicta communione moti sint, aut pœnitentiam agant: ad regium autem epulum siue Dominicâ cœnâ nō admittuntur nisi à peccatis expiati, fideles & sancti, qui dignè māducent & bibant. Si quis aliis immunndus & sibi in suâ immunditiâ placens inuerecundè vel improbè sese ingerat, conditionem suam longè deteriorem efficiet: judicium enim sibi edet & bibet, pœnaq; grauiore, quam alias vñquam, afficietur. Hac similitudine videmur nobis discrimen, quod inter Missam Catechumenorum & Fidelium olim fuit, aut etiā hodie esse possit, vtcūq; explicasse. Cetera, & quod neq; in Missâ Cathechumenorum, neq; in Missâ fidelium vñlum sit verum, propriè videlicet & strictè dictum sacrificium, breui in iis, quæ sequentur, explicabimus.

F I N I S.










00 A 6437

ULB Halle  
002 937 360

3







3.  
C Y N   C E Ω.  
*De*  
**S A C R I F I C I O**  
**C H R I S T I   S E M E L   I N**  
**C R V G E   O B L A T O,   E T**  
**I N I T E R A B I L I**  
**E X E R C I T A T I O   S E C U N D A**  
**R I T V S   M I S S A E   I V X T A   A V G V S T A N A M**  
**C O N F E S S I O N E M   R E F O R M A T A E**  
**E N A R R A N S,**  
*Quam*  
*S V B   P R A E S I D I O*  
**G E O R G I . C A L I X T I**  
**S. THEOL. D. ET PROF.**  
**P V B L I C E**  
**I N   A C A D. I V L I A**  
**D I E   X X   O C T O B R I S**  
**S V S T I N E B I T**  
**M. I O H A N N E S   G O E S**  
**V V E S T P H A L V S.**  
**H E L M A E S T A D I ,**  
**I N   T Y P O G R A P H E O   C A L I X T I N O   E X C V D I T**  
**H E N N I N G V S   M V L L E R V S.**  

---

**C I C   C I C   C I C   C I C   C I C   C I C   C I C**